



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post  
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

**Dévay Biró, Mátyás**

**[Nürnberg], [1537]**

**VD16 D 1300**

Censvra.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34195**

talium opera sunt peccatum. Rom. 14. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Qui credunt in Christum, etsi natura peccatores sint, tamen gratia, electione, adoptione iusti sunt, fide absorbentur eorum peccata. Ioannes: Qui natus est ex Deo non peccat &c. Ignorat doctor quid sit ciuilitate esse bonum, iustum, & Euangelice. Ethnicorum multi fuerunt iusti, ciuili, ac humana iustitia, sed fidei expertes in Christum perierunt, & Fratri non succurrit Dialecticorum regula, quod communiora uocabula prius sint diuidenda, quam definienda, alia est uoluntas piorum, alia impiorum, inter quos fides discernit. Sequitur ergo, quod haec consequentia ut est absurda, & doctore Parisiensi digna, ita est intempestiua, antecedens uerum est, sed consequentia falsa, quia non quodlibet bene uelle est iusticia coram Deo, etiam si sit coram hominibus, caetera quae ineptit, nihil ad rem faciunt.

## PROPOSITIO XXXIII.

**N**ihil discriminis est inter Christianos apud Deum.

## CENSURA.

**I**ste balbutit in hac parte.

## CONDEM. CENSURAE.

**M**ira subtilitate suam ornat censuram hic Frater, & ne scio quae superuacanea persequitur, sed ignorat quid persona significet in scripturis. Nego prosopopoeian & personarum doctrinam, in externis actionibus & donis non iustificatibus. Magna est doctrina, ut probatum est in apologia, sed fide omnes pares sumus, & non moratur Deus, aetatum, condi-